



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Svectionensi, Abbati Longipontis Cisterciensis ordinis
Svectionensis diocesis, & G. Decano Svectionensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

dem præsentationem Abbatis in festo Annuntiationis beatæ Mariæ in Diaconum fuit postmodum ordinatus; nec recolit utrum dies qua ordinem subdiaconatus accepit esset sabbatum quatuor temporum, utrumve dies quo fuit in Diaconum ordinatus esset sabbatum quo canitur *Sistentes*. Vnde licet statuto tempore in sacerdotem promotus divina diu officia celebraret, postmodum tamen, ut à conscientia sua dubitationis scrupulum amoveret, à divinorum celebratione duxit humiliter abstinendum, quousque super hoc nostræ recepisset beneplacitum voluntatis. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si super iis veritas ignoratur, eundem in susceptis permittas ordinibus hberè ministrare: quia ubi contrarium non apparet, Episcopus rite præsumitur processisse; præsertim cum & solemnitas beati Mauricij quatuor jejuniorum temporibus, & festum Annuntiationis sabbatho quo *sistentes* canitur, frequenter occurrant. Verùm ex anno quo extitit ordinatus per diligentem computationem posset veritas indagari; & si constaret quòd extra statuta fuisset sabbatha ordinatus, quamquam sustineri posset quod fuit de ordine subdiaconali præsumptum, diaconalis tamen ordinis ei deberet executio interdicti. Tu denique fili Abbas &c. Datum Laterani xvi. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimosexto.

*EPISCOPO SVESIONENSI,
Abbati Longipontis Cisterciensis ordinis
Suessionensis diocesis, & G. Decano Suessionensi.*

*Epist. 149.
De negotio comitatus Campaniæ & Briæ.
Vide infra epist. 151.*

Dilecta in Christo filia nobilis mulier Blanka Comitissa Campaniæ ac Theobaldus natus ejus nostris auribus intimarunt quòd inlicitæ recordationis Henricus Comes Campaniæ atque Briæ profecturus in terram sanctam, Baronibus & Militibus suis iussit ut si eum de transmarinis partibus contingeret non redire, claræ memoriæ Theobaldo fratri suo intenderent, utpote terræ domino, faciens eos super hoc præstare corporaliter iuramentum, qui post mortem ejusdem Comitis præfato Theobaldo tamquam Campaniæ ac Briæ Comiti, terris suis receptis ab ipso, fidelitatem & homagium præstiterunt. Verùm quia præfatus Henricus in partibus transmarinis duas filias ex claræ memoriæ [Isabella] Regina Hierosolymitana sibi, ut dicitur, minùs legitimè copulata suscepit, Comitissa præfata & filius ejus timen-

Vide gesta Innoc. III. cap. 38.

tes sibi ab illis vel à viris earum, cum fuerint matrimonio copulata, moveri super eisdem comitatibus quæstionem, ne pro defectu testium jus eorum valeat deperire, nobis humiliter supplicarunt ut valitudinarios testes & senes recipi faceremus. Nos igitur eorum volentes indemnitatibus præcavere, ne veritas valeat occultari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus testes senes & valitudinarios, quos super iis iudem producendos duxerint, admittatis, & diligenter examinantes eisdem, ac depositiones ipsorum fideliter redigentes in scriptis, ipsas sigillorum vestrorum munimine roboratas faciatis cautius custodiri. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcopo &c. Vos denique, frater Episcopo, ac fili Abbas, super vobis ipsis & creditis vobis gregibus taliter &c. Datum Laterani i. Idus Decemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem modum Vindocinensi & de Eleemosyna Abbatibus Carnotensis diocesis, & Subdecano sancti Martini Turenensis usque in finem. Datum Laterani ut supra.

*P A T R I A R C H Æ
Ierosolymitano apostolice sedis Legato,
& Tyrenensi Archiepiscopo.*

EX parte dilectæ in Christo filiar nobilis mulieris Blanchæ Comitissæ Campaniæ ac Theobaldi nati ejus nostro est apostolatu referatum quòd nobilis vir Erardus de Brena nuper ad partes vestras accessit ut unam de filiabus claræ memoriæ Henrici Comitis Campaniæ accipiat in uxorem, quæ ipsum dicitur in eo gradu consanguinitatis attingere quòd secundum sanctorum patrum statuta legitimè nequeunt copulari, cum inlicitæ recordationis Lodovicus Rex Grossus, proavus videlicet Comitis supradicti, frater extiterit Florij, cujus propepos est Erardus. quod, ut asserunt, satis est in Galliarum partibus manifestum, & constare de facili poterit evidenter. Cum igitur ipsi, si necesse fuerit, id probare in eisdem partibus sint parati, & satius sit in hujusmodi ante tempus occurrere quàm post tempus remedium mendicare, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus sub pœna excommunicationis appellatione remota inhibere curetis hujusmodi contrahi copulam inter eos, ne scandalum oriatur ex eo ex quo debet utilitas provenire. Quòd si non ambo &c. alter vestrum &c. Vos denique, fratres Patriarcha & Archiepiscopo, super vobis ipsis &c.

*Epist. 150.
De matrimonio Erardi de Brena.
Vide appendicem hujus libri.*